et apud illum populum habet aliquod beneficium; si ex seque-
retur unus ex clero talis populi: at si interdicuntur Religiosi
et ideo etiam interdicti censentur clerici.

125. Colliges 6: Tres sunt certo effectus interdicti, primus est
privatio usus activi et passivi aliquorum Sacramentorum. secundus
usus activi et passivi divinorum officiorum. tertius privatio
sepulturae Eccles. in ordine ad primum effectum dicitur aliquorum
sacramentorum, quia aliqua iure excipiuntur, et primo baptismus
potest recipi tempore interdicti tam a parvulis, quam adultis etiam
extra casum necessitatis, iuxta cap. Non nobis de sponsalibus, et cap.
responso de sent. excom. De adultis patet cap. quoniam de
sent. excom. in 6. ratio utriusque est, quia baptismus in re susceptus est
necessarius parvulis necessitate medii, adultis vero saltem in voto,
cum autem votum baptismi requirat contritionem perfectam, quae difficilis
admodum est; ideo pia mater Ecclesia voluit excipi baptismum,
ne homines tanto bono priventur. Imo talis baptismus potest conferri
cum solemnitate; quia solemnitas est aliquod accessorium ipsius baptismi,
sed accessorium sequitur suum principale: ergo ubi conceditur baptismus etiam
conceditur solemnitas.

126. Colliges 7: si minister talis baptismi foret interdictus generali-
ter, tunc posset baptizare; quia interdictum generale personale, aequiparatur
interdicto generali locali; cum aequales habeant effectus: ergo si non prohibetur
conferri baptismus in interdicto locali, nec prohibebitur in interdicto personali

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII66/0792
gefördert durch Baden-Württemberg